

E X C U R S U S
D E
S O L A N O W I G H T I I,
QUEM ARNOTTII COLLEGAE OBSERVATIONIBUS
ADDIDIT
NEES AB ESENBECK.

Dum ea, quae in antecedentibus de pluribus Indiae orientalis plantis et inter eas maxime Ceylanicis summa eruditione et ingenii acumine disseruit Arnottius, collega et amicus summe colendus, legebam typisque exscribenda curabam, subit animum recordatio Wightii, viri clarissimi iam in Indiae vastis regionibus ad novas opulentissimasque plantarum messes rursus conversi, quem quidem atque Walluchiumque virum dilectissimum Deus ut sospites nobis conservet, precamur. Inter haec autem, uti fieri solet, cum amicorum longo terrarum spatio a nobis disiunctorum recordatione in curas et sollicitudinem abripimur, ut ad imagines illorum pictas oculos convertamus easque mente perspicaci intuentes et vivere ipsos quos tanquam vivos et praesentes adspicimus, et esse sanos ac salvos nobis persuadeamus, imaginem equidem quaerebam viri praestantissimi; sed frustra id egi, qui quidem nec vultum viri praesentis neque pictam eius imaginem unquam conspicerim.

Igitur mentem in alia re locabam, quae saltem nomen in memoria revocaret et imaginem quandam haud ingratam, etiamsi a vera alienam, adiungeret. Atque inter plurimas, quae viri clarissimi cognomine ornantur plantas iam una se ipsa quasi sponte obtulit, cuius figuram in tabula splendida pictam nuper mihi tradiderat Arnottius noster, admonens ut errorem in descriptione Solanearum Indiae orientalis (Transactions of the Linnean Society XVII. p. 51) a me commissum corrigerem: „*Solanum* etenim *Wightii*, quod l.c. inter *Solana torva* posui (scil. quod solos fructus nec florem tunc temporis vidissem) antheris inaequalibus praeditum inter *Nycteria Ventenatii* esse referendum atque *Solano pubescenti* Willd. (Linn. Transact. p. 60. n. 29.) ad latus ponendum.“

Haec cum iuste et prudenter praecepta viderentur, non solum amico volenti obtemperans sed proprio animi motu conductus, iconem *Solani Wightii*, ad tabulam Musei Arnottiani descriptam, novosque characteres specificos ac descriptionem ampliorem ad naturam factam coronidis loco iam adiicio.

S O L A N U M. Sect. VI. N Y C T E R I U M. (Vent.)

N. ab E. Sol. Ind. or. in Transact. Linn. XVII. p. 60.

S O L A N U M (Nycterium) W I G H T I I .

Sol. herbaceum aciculato-aculeolatum fasciculato-hirsutum, foliis cordato-ovatis vel ellipticis repando-sinuatis, pedunculis fructiferis elongatis reflexis, antheris tribus inferioribus productioribus, fructu calyce tecto.

*Solanum Wightii N. ab. E. in Transact. Linn. XVII. p. 51.
n. 20. (perperam inter Solana torva relatum.) Wight.
Herb. propr. n. 1576.*

Crescit in Peninsula Indiae orientalis. 4? Vidi specimina Herbarii Wightiani et Wallichiani.

Inter reliqua Solana, *Nycteria* dicta, haec species iam solis fructibus in pedunculis suis elongatis reflexis, plerisque geminis et bacca una cum calyce crescente facilis negotio distinguitur. Habitu quidem est *Torvorum*, sed quoad florem omnino *Nycteriorum*.

Ramus teres, crassitie pennae gallinaceae, strato fibrarum tenui sublignescente, medulla laxa farctus, uti petioli, folia, pedunculi et calyces pilis densis erectis fasciculatis griseis hirsutus. Aculei graciles, aciculares, sparsi, per intervalla confertiores, recti vel subrecurvi, reclinati, glabri, in caule petiolis parcusque in foliorum costa venis que utriusque paginae dispersi. *Folia* in nostro exemplo alterna, cum petiolo semitereti pollicari $4\frac{1}{2}$ —5 pollices longa, $1\frac{3}{4}$ —2 pollices lata, basi obtusa vel subcordata apicem versus magis minusve attenuata, acuta, utrinque sinubus 2—3 repanda, lobis obtusis vel acutis parum prominentibus, apicem versus integra, subtus pallidiora, nec vero albiantia. *Pedunculi* communes laterales, vix 2—3 lineas longi, hirsutissimi, 3—4 flori, inermes. *Pedicelli* racemoso-corymbosi ante anthesin pedunculi communis longitudine cernui, post anthesin sesquipollicares, apicem versus incrassati, reflexi, inermes, hirsuti. *Calyx* hirsutus, inermis, campanulatus, ad medium usque quinquefidus, laciniis lanceolatis subulato-acuminatis et quasi aristatis. *Corolla* duos pollices lata, rotata, coerulea; limbo ad medium usque quinquefido, laciniis aequalibus triangularibus acutis margine subtiliter undulato. *Stamina* quinque limbo breviora; *filamenta* brevia; *antherae* luteae; tres inferiores lanceolato-subulatae recurvae, duae superiores duplo fere breviores, lanceolatae, apice minus attenuatae, decurvae; cunctae apice poris geminis dehiscentes. *Stylus* filiformis, longitudine antherarum inferiorum, recurvus, apice capitatus. *Bacca*

magnitudine Cerasi minoris, ovato-subglobosa, glabra, laevis, inclusa calyce persistente eiusque laciniis iam triangulari-attenuatis subulatis apice incurvis brevior, bilocularis. *Semina* albida, tubercululis exasperata.

Adnotatio. Structura floris omnino *Solani (Nycterii) Amazonii* (*Dun. Synops. p. 36. n. 217. Bot. Mag. n. 1801. N. ab E. Hor. phys. Berol. p. 51. t. 9.*), sed differt inflorescentia, armis, foliis.

T a b u l a X V I I I .

Solani Wightii ramus naturali magnitudine cum florum et fructus analysi, ulteriori non indigens explicatione.
